

IN FUNERE FRANCISCI I.
ROMANORUM IMPERATORIS ELECTI
ORATIO
HABITA IN SACELLO QUIRINALI
CORAM
CLEMENTE XIII.
PONT. OPT. MAX.

A

CAROLO MATTHIA
S. R. I. COMITE A STRASOLDO.




ROMÆ, MDCCLXV.
APUD FRANCISCUM BIZZARRINI KOMAREK,
PROVISORIS LIBRORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.



SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/infunerefrancisc00stra



ORATIO.



Tinam ea eſſet hominibus naſcendi conditio, ut quantum virtute cæteris præſtant, tantum vitæ diuturnitate reliquis anteirent! FRANCISCI Romanorum Imperatoris Electi conſpectu frueremur potius, quam acerbiſsimum ex

 repen-

repentino illius interitu ſuſceptum moerorem laudum ſuarum recordatione ſolaremur. Verum etſi ad ſenſus noſtri jucunditatem optanda maximè integerrimo Principi immortalitas erat; tamen, quandoquidem pro conditione naturæ hic quoque ultimus vitæ actus Francisco agendus fuit, eundem hujuſmodi obitu rectè factorum ſuorum præmium ampliſsimum fuiſſe adeptum nemo inficiabitur. Etenim, cum triſtiſſimum nuncium aut noſtras, aut aliarum gentium aures perculiſſet, quæ ſubita animorum perturbatio, qui luctus, qui moeror non ſunt conſecuti? Doloris acerbitate proſtratam Auguſtam Conjugem, lacrymis perfuſos præſtantiſsimos Filios, Fratrem, Sororem nobiliſsimos Principes ſquallore confectos: Aulam, Oenipontum, Regna, Provincias luctus gravitate in ſumma eſſe moeſtitia aut ſanguinis conjunctioni, aut acceptis beneficiis referri poteſt. Quod autem demortui Cæſaris caſum tanta moeroris ſignificatione Europa univerſa ſit proſecuta, id totum ſingulari illius virtuti unicè tribuendum eſſe confirmo. Quare, cum in hoc Sanctiſsimo, Graviſsimoque Orbis Terrarum Conſeſſu funebris Francisci I. laudatio habenda ſit, patere,

CLE-

CLEMENS Beatiſsime, me de rebus ab illo præclarè geſtis breviter diſſerentem id unum contendere; Nihil ſcilicet defuiſſe FRANCISCO, quin Imperator Optimus habeatur. Quod ſi Tibi acerrimo virtutum æſtimatori genus hoc laudationis probatum eſſe intelligam, immortali extincti Cæſaris gloriæ, ac merito ſingulari maximum ſupremis hiſce Pontificiis honoribus cumulum acceſsiſſe, nemo erit, qui non libentiſsimè fateatur.

Atque ut jam inde a principio intelligere quiſque poſſit, quid mecum ipſe cogitans ſentiam, cum Optimum Imperatorem dico, facite, illud vobis in mentem veniat, non quæ privatum hominem aut exornent, aut deceant hic a me percenſeri, ſed quæ publicum bonum ſpectant, & in quibus Gentium, ac Populorum aut ſalus, aut felicitas continetur, atque adeò, quæ verè Imperatoriæ virtutes ſunt, eas ad immortalem FRANCISCI gloriam me oratione complecti. Quare aliis ornatiſſimo dicendi genere commemoranda libenter relinquo, quæ vel in opulentiſſima rei familiaris adminiſtratione ſapienter providit FRANCISCUS; vel in præclarè ad gloriam, & amplitudinem, & ad

res magnas bene gerendas præſtantiſſimis Filiis inſtituendis Pater amantiſſimus contulit; vel in domeſtica rerum cæterarum procuratione Princeps integerrimus diligentiſſimè poſuit. Dicent ii humaniſſimam comitatem in ſuos, quibuſcùm familiariſsimè ageret; Dicent ſingularem animi manſuetudinem, quæ mitiſsimo reſponderet ingenio; Dicent tantam in ſumma rerum fortuna Maximi Principis moderationem, quantam vel in infimo quoque homine miraremur. Itaque, FRANCISCE IMPERATOR, domeſticæ hæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolum à tuis, quibus quanta eſſes vitæ innocentia, quanta morum ſuavitate, quanta in rebus omnibus continentia licuit propius inſpicere; ſed & propagatam in Filiis Paternæ virtutis ſpeciem, & ornamenta nulla unquam vel remotiſsima ætas non intuebitur, nullumque tam iniquum rerum æſtimatorem futurum ſcio, qui te optimi Patrisfamilias partes omnes planè impleviſſe non videat.

Verùm ejuſmodi res licet præclaræ ſint, & in Chriſtiano Principe maximè commendabiles, eæ tamen non ſunt, quibus Cæſarem inſervire oportet, & oſtentare ſe, ut, poſt-

quam privatæ laudis gloriam adeptus eſt, habeat Poſteritas, quod celebrando commemoret, quodque ſæculorum omnium memoria vigeat ſempiterna. Quare ea multa tàm varia, tàm diſſimilia, atque impedita, quæ, ut in officio Populi contineantur, civilis diſciplinæ ſunt propria; quæ vel in præcavendis hoſtium conatibus, vel in fovenda Amicorum gratia Regnorum ſecuritatem ſpectant; quæ in bonarum artium ſtudiis requiruntur, ut optima quaque diſciplina juventus liberaliſſimè erudiatur; quæ denique ſive ad otii ſtabilitatem, ſive ad pietatis cultum & integerrimam Religionem referuntur, ſapienter diſponere; quæ publicæ commoditati proſint, ea promovere, quæ noceant longiſſimè avertere; pacis ornamenta conſervare, litterarum ſubſidia conquirere, cuncta demum opportunis ſanctionibus conſtituere, aut facilè expedire, ita ad boni Principis rationem pertinere intelligitis, ut qui ea omnia, quemadmodum Francisco I. feliciter contigit, toto vitæ ſuæ curſu ſit perſecutus, idem vobis verè Imperator fuiſſe Optimus videatur.

Et ſanè, quid aut Chriſtiani Principis me-

moriæ gloriosum magis, aut Germaniæ Populis, qui felici illius Imperio paruerunt, commodius unquam potuit accidere, quàm ut FRANCISCI I. in Deum Religio, & morum sanctitas, eæ quidem non adumbratis, atque adeò incertis signis expressæ, sed manifestis, iisque diuturnis significationibus indicatæ in omnium oculos essent? Testem appello magnificentissimum Sacellum illud, quod ad Posterorum memoriam dedicatum, ac positum esse voluit FRANCISCUS eodem ipso in loco, quo illi se Imperatorem fuisse electum primò nunciatum est: qua una re Principem religiosissimum satis ostendisse confirmo, se Imperatoriam, quam obtinuerat dignitatem, a DEO O.M., cujus nutu humanæ sortes vertuntur, unicè sibi collatam intellexisse. Mirari itaque desinant, qui publica Templa adeuntem FRANCISCUM, ibique non de genu tantum, sed inclinato corpore, projectoque in terram vultu diutissimè commorantem, præsertim cum statutis per annum diebus frequentissimo inspectante populo ad Eucharisticam mensam sæpius accederet, intimo quodam, & suavissimo pietatis, ac religionis sensu commotum Principis animum obstupescebant.

bant. Qui enim non Lotharingiæ Familiæ ſplendori, non Regum, ac Principum conſanguinitatibus, & amicitiæ, non Suffragatorum conſenſioni, & gratiæ, non demum virtuti, & merito ipſi ſuo, quod renunciatus fuiſſet Imperator, referret acceptum, is non domeſtico tantum, & intra Aulæ ſuæ parietes concluſo pietatis ſtudio, verum publico etiam, eoque ſingulari veræ, germanæque Chriſtianæ Fidei teſtimonio certiſſimum animi, mentiſque ſuæ indicium non poterat Princeps Optimus non oſtendere.

Habent, ut planè intelligitis AA., habent in FRANCISCI pietate, quod laudent Populi: habet quod imitetur Poſteritas: habemus, quod in religioſiſſimi Principis repentino interitu & nos graviter doleamus, cum tanta Optimi Imperatoris virtus morte extincta ſubita ſit. Neque enim tantùm ſanctiſsima ejuſmodi, quæ ad mores, vitamque piè, rectèque informandam pertinerent exempla; verum illa quoque in ſupplicum precibus excipiendis ſingularis humanitas, ii ad Principem faciles aditus, illa vel in rebus ſecundis, vel in adverſis imperturbata animi moderatio, illud publicæ tranquil-

quillitatis ſtudium, ille bonarum artium, ac doctrinarum amor, & cura, illud immortalitate dignum ingenium & ſuis, & nobis Francisci I. acerbiſsimo obitu erepta ſunt.

Cum repente ſoluto gelu miſerum in modum Danubius exundaſſet, horret animus commemorare triſtiſſimæ illius calamitatis acerbitatem, & luctum. Viennæ in Leopoldi ſuburbio ad prima ædificiorum uſque tabulata undæ pervenerant, quin afflictis Civibus aut alluvionem prænoſcere, aut periculum fugere licuiſſet. E ſuperioribus domorum pontibus clamabant miſeri; vicinæ Urbis implorabant auxilium; terrore, anguſtia, fame conficiebantur; nullus tamen in eo rerum articulo aut tam miſericors, aut tam audax fuit, qui in præſenti vitæ diſcrimine aut amicis, aut cognatis, civibus certe ſuis, opitulari non recuſaret. Unus inventus Franciscus eſt, qui, non dicam Imperatoris dignitate, ſed vita ipſa poſthabita, Patriæ Charitatis in ſubditos memor naviculam conſcendens æſtuoſa vada trajiceret, afflictos conſolaretur, eſcas manu ipſe ſua ſuppeditaret, filios veluti ſibi cariſſimos complecteretur. Utinam temporis mihi

ad

ad dicendum dati diligenter habenda ratio non esset; quæ hoc loco Tibi proponerem considerànda, CLEMENS Beatissime, qui liberalitate in pauperes, amore in afflictos, pietate in omnes intelligis, quam dulce amantissimo Parenti sit filiorum aut egestatem, aut dolorem, aut solitudinem sublevare! Verùm de OPTIMI IMPERATORIS laudibus dicendum est.

Itaque habent Viennenses magnifico, verèque regali sumptu constituta ædificia, in quibus, quæ ad plantarum, stirpium, lapidum, metallorum, cæterarumque naturalis historiæ partium cognitionem spectant, ad publicam Studiosorum utilitatem multis impensis, diuturnoque labore è remotissimis quibusque regionibus conquisita, & collecta asservantur: Habent Florentini Medicei illius Musei gemmarum, & antiquorum numismatum singulari copia amplificata, & aucta cymelia; Habent Pisani artium omnium optimarum, & sapientiæ veluti domicilium Lyceum suum ad juvenum institutionem præclaris doctoribus instauratum; Vigent promotæ artes, dilatatum commercium, tranquillitas Populis restituta:

nar-

narrant non pauci, qui cùm Viennam adirent, ibique Clementia Principis humanissimè fuissent accepti, de antiquitate, de artibus, de commercio, de naturæ historia, de rebus physicis ita se disserentem FRANCISCUM audivisse, ut sibi non jam Imperatorem, verùm Doctorem aliquem, illumque scientissimum allocuti esse viderentur. Quæ omnia, quàm acerbus Etruriæ dolor, quàm gravis Germaniæ luctus, quàm debita universorum solitudo, & moestitia sit, quin pluribus verbis utar, satis per sese declarant.

Quo in loco ad immortalem, illamque maximam extincti Principis gloriam illud præterire non possum; hæc tanta bona, tàm multa, & tam varia, quæ subjectis sibi gentibus procuravit FRANCISCUS, hæc eadem diuturno cum otio, & non interrupta tranquillitate semper fuisse conjuncta. Recalent adhuc humano sanguine, quæ in Mare Germanicum sese evolvunt flumina, & desolati Provinciarum agri nudis ossibus albescentes satis docent, quemadmodum ipsis quoque victoribus interdum acerba victoria sit. Finitimarum Provinciarum incendia, cladium miserrimarum

rum lamentationes, militum, & armorum strepitus exterritæ acceperunt IMPERATORI OPTIMO subjectæ Urbes, cum illæ interea Principis amantissimi cura, veluti in ipso tranquillitatis sinu placidè conquiescerent; itaut, quo tempore illis tàm magno bono frui datum est, atque concessum, nemo esse potuerit, qui easdem fortunatissimas non judicaret.


Quid? Si felicissimum hoc otii genus, ut suum quoque post obitum Populis diuturnum esset, atque perpetuum, FRANCISCUS studuisset? Plurimis, iisque valdè singularibus beneficiis, quæ in suos contulit, immensa quædam, & nova Patriæ Charitatis facta esset accessio, de qua nulla unquam tam barbara, nulla tam fera posteritas conticescet. Facilè, ut puto, videtis A A., me de auspicatissima illa ROMANORUM REGIS electione, qua JOSEPHUS II. futurus CÆSAR est renunciatus, intellexisse. Etsi enim eo consilio patriæ in spectatissimum FILIUM charitati obsecundavit FRANCISCUS, simul tamen naturæ communis fragilitatem, & incertos valetudinis eventus cogitans Germaniæ universæ felicitati ille prospexit; cui si minus providè consultum foret, quibus for-

tasse

tafse gravifsimæ tempeftatis incertis fluctibus nunc agitata perturbaretur?

Quare communem inter Ordinum omnium fqualloren, atque moeftitiam illud unum confolationis genus reftare dixerim, quod FRANCISCI cura JOSEPH II. ROMANORUM REX fit renunciatus. Etenim cum is patriæ & dignitatis, & virtutis fit hæres, quæ in Augufti Parentis vita ad publicam utilitatem ab OPTIMO IMPERATORE commoda profluxerunt, quod Religionis ftudium, qui liberalium difciplinarum amor, quæ diuturna tranquillitas FRANCISCI Imperium illuftrarunr, eadem in Cæfarem Filium translata Imperii, Germaniæ, atque adeo Europæ univerfæ felicitatem conftituent. Diu itaque & populorum omnium bono, & virtuti, atque gloriæ ipfe fuæ, & FRANCISCI I. divinis laudibus JOSEPH II. ut vivat, optandum nobis eft: quoties enim extincti Principis Imaginem in Augufto Filio fuperftitem intuebimur, toties FRANCISCUM neque morte tàm fubita nobis ereptum, neque omninò interiiffe putabimus; quin præclara illius facta novi Cæfaris largitate, & beneficentia, tranquillitatis fervandæ

vandæ ſtudio, & cura, pietate in Deum, ac Religione, ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium, atque tutelam, ad gentium, & provinciarum felicitatem, & pacem, ad Europæ univerſæ tranquillitatem, & otium, aut conſervata fuiſſe nobis, aut reſtituta, & TU qui Chriſtiani Orbis bono Petri Cathedram occupas planè ſenties Pontifex O. M., & ſimul tecum nos omnes facilè intelligemus.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus Jordani Archiep. Nicomediæ Viceſg.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sacri Palatii Apoſt. Magiſter.

SPECIAL
94-B17007
XXX
THE GETTY CENTER
LIBRARY



LORIS of FLORENCE
V 17